



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quatenùs cognitio Christi non est trahenda ad carnem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Acto. 15.

Domini nostri Iesu Christi. Fide purificans cor. Et Christus ait Ioan. 7. Pater, sanctifica eos per verbum tuum, nam sermo tuus veritas est. Per fidem ergo sanctificamur, locus solitarius, cibus moderatus, vestitus &cet. bene conducunt vt sanctitas retineatur. Sed ipse Christus per Fidem verbi sui nos sanctificat: Et nos in illo sumus sancti imputatiue coram Deo, quia nemo ab initio sanctus est reputatus, nisi qui crediderat. Et quotquot sanctificati sunt, hoc factum est per fidem verbi Dei. Quarto, Christus est nostra redemptio & liberatio, scilicet à maledictione legis, quã ipse impleuit Matth. 5. & à peccato, quia ipse pro peccatis mortuus est, Roman. 5. & à Sathana, quia non habet in eo quicquam, Ioan. 14. Et quoniam nobis Christus sic datus est, nihil iuris in nos credentes atque pœnitentes habebunt vel lex vel peccatum. Nam inquit Ioannes 10. Nemo potest ea de manibus meis eripere, id est, oues meas. Non est igitur aliud nomen sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri &cet. Felix ergo homo, cui datum est sic Christum agnoscere suam sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem, vt solùm in Deo gloriatur, & nihil arroget sibi de sua sapientia, iustitia aut perfectione: Sed pauci sunt qui hanc habent gratiam: sic simplicibus verbis Apostolus docuit Christum apud Corinthios suos, &c.

3.

Insuper maximè cauendum est, ne talis suaui doctrina conscientie trahatur ad carnem, sicut plerique dicunt: Si Christus est mea iustitia, ergo non curo habere propriam. Nam iubet etiam Christus & exigit nostram iustitiam, Matth. 5. Nisi iustitia vestra abundauerit, &c. Et Paulus Ephes. 4. ait: Induite nouum hominem Vel qui dicunt, Christus est mea sanctitas, quid curo propriam? Nam & nostram exigit Deus, 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstinatis &c. Et 1. Cor. 6. Nescitis quia corpora vestra


*vestra templum sunt Spiritus sancti? ergo Scriptura
 exigit & docet nostram sanctificationem tam in ani-
 ma quam in corpore. Vel qui dicunt, Christus me re-
 demit, nulla sunt opera mea, nullius meriti. Nam o-
 bedientia præceptorum utriusque Tabule exigitur
 ab omnibus. Summa, nisi & nos fuerimus iusti, san-
 cti, fructificantes in fide, non retinebimus Christi sa-
 pientiam, iustitiam, sanctitatem, redemptionem: & no-
 stram iustitiam vult Deus ingentibus præmijs orna-
 re & gloria æterna. Videat ergo quisq; ne hanc sanã
 doctrinam in abusum vertat. Empti enim estis precio
 magno, inquit Apostolus 1. Cor. 6. ideò glorificate &
 portate Deum in corpore vestro. Et Zacharias Luc. 1.
 In sanctitate & iustitia coram ipso seruiamus omni-
 bus diebus nostris. At nostra iustitia non quietat con-
 scientiam, sed Christi: ideò vt firma sit, transfertur in
 Christum: Nos enim serui inutiles sumus, Luc. 17.
 Primam iustitiam Christi solam vrgēt Lutherani, nos
 Catholici vtranque. In persona Christi maior est san-
 ctitas, quam sunt omnia bona opera, & sanctitas om-
 nium hominũ totius mundi. In Christi persona ma-
 ior est iustitia, quam omnium hominum totius mun-
 di. Ideò propter Christi sanctitatem, iustitiam, merita
 sanguinis sui, capimus salutem, & non propter ope-
 ra nostra bona & iustitiam. Deindè maior & multò
 amplior est in persona Christi Gratia & redemptio,
 quam est iniquitas & malitia totius mundi. Vnica
 mors eius, efficacior est peccatis totius mundi, mor-
 te, atque inferno. Ideò quicumq; in illum crediderit,
 illi dicitur Ioannis 16. Confide, quia ego vici mun-
 dum, id est, ea quæ in mundo sunt, peccatum, mortem,
 Sathanam, &c. Hæc igitur est consolatio fidelium.
 Ante omnia ergò Christum, verbum, & opera passio-
 nis suæ oportet apprehendere fide, sic scilicet, vt il-
 lum suscipias tanquam donum & propinam, quod
 vel quam tibi Deus pater pro proprio gratis donat,*

vt tuus sit Christus, eiusque passio, meritum, opéra, ac si tu ipse hæc fecisses, quæ Christus pro te fecit: vt eius passio sit tua, ac si tu passus fuisses. Sic eius sapientia, iustitia, redemptio, &c. Esaiæ 9. Puer nobis natus est, filius datus est nobis. Rom. 8. Qui dedit nobis Filium, quomodo non omnia cum Filio? Ioan. 3. Vt vnigenitum suum daret, &c. Si nobis datus est, ergo noster: ergo & nostra sapientia, iustitia, redemptio. Hæc fides te Christianum facit, & liberat à peccato, morte & inferno: hæc fides dicitur iustitia, Rom. 4. Quandò ergo nunc sic Christum pro fundamento & capitali bono salutis nostræ habemus & apprehendimus, tunc sequitur alterum: nempe, vt Christum pro exemplo apprehendamus & imitemur, vt sicut ipse nobis benefecit, sic nos proximo nostro: Ipse fuit iustus, obediens, patiens, sanctus, diligens, non maledicens, &c. sic eum imitemur. 1. Petri 2. Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, &c. Et 1. Corint. 11. Imitatores mei estote. Prima apprehensio Christi per fidem, acquirit nobis essentielle bonum, id est, remissionem peccatorum & vitam in Christo: altera, accidentale, hinc & in futuro, id est, specialia præmia. Sicut enim stella differt à stella, &c.

1. Cor. 15.

CAP. XXVIII

ARGUMENTA.

1. *In quo consistit regnum Christi, et qui sint in illo.*
 2. *Quid sit regnum Sathana, & qui sint in illo.*
 3. *Quomodo non nocebit credentibus, etiamsi adhuc sentiunt regnum Sathana in motibus animi & corporis.*
1.  Hristus coram Pilato dixit Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, id est, non est carnale aut temporale: ergo sequitur quòd est spirituale. Est igitur Christi